

haud exiguo. Merito itaque inſperatam quaſi hanc victoriam Deo fert acceptum victor inclytus: ſic, inquiens, vincere certum, cum Dominus exercituum ipſe dimicet: cum arcus conterit; arma confringit: curſus igni comburit.



Cæterùm, uti anceps plerumque & varia fortuna Martis eſt, ſic res latas Navarræi mox triſtis caſus inturbavit. Interea namque Henricus Guiſius Germanico exercitui, qui magnis laboribus ac ſumptibus ad ferenda Navarræo ſubſidia collectus fuerat cum copijs ſuis obviam procedit ad Moſellam; eumque in oppido Aneau die 24. Novembris invadit, cædit, & in fugam compellit. Germani per Sabaudiam in patriam redeunt: ſed pauci, & omnium rerum egeni. *Ianſonius in Merc. Gallicobelgico. Author.*